

horam demonstrat occasus, quæ quia tempus representat semidiurnum, hoc quoque versus sinistram adposui, & ad dextram post meridiem, Vt sic cognoscas horas diei tibi in numeris illis post meridiem esse querendas.

PROBLEMA QVINTVM

*Qualis sit ista, in qua Polaris altitudo
queritur, scala meridionalis?*

Vides hic ad sinistram superioris partis Scalam meridionalem designatam: vides eandem ex hora 12. pendere: Vides etiam ab æquinoctiali incipiendo vsque ad infimam lineam diuisos ex ordine esse gradus $66\frac{1}{2}$ cum adiunctis numeris de quinario in quinarium vsque ad $66\frac{1}{2}$: Hi sanè gradus aliud non sunt, nisi gradus elevationis polaris quo reponi debet filum cum vnione, sicut in sequentibus aperietur.

PROBLEMA SEXTVM.

*An sint horæ, ad inueniendas illas ortus & occasus horas
conducentes, quas horas ingressus dicere possimus?*

Sunt adhuc aliæ obliquæ, æquidistantes, & duplicatis ductibus tractæ lineæ, quæ omnes orthogonaliter lineas horarias descendentes attingunt, habentque numeros suos adsignatos ad dextram iuxta horam 12. mediæ noctis. Numeri verò illi etiam partim sunt albi partim nigri propter horarum discrimina, æque enim hoc ordine numerantur pomeridianæ horæ 1. 2. 3. 4. &cæ. atque ante meridianæ. Inuestigaturus itaque cum eiusmodi horis ante meridiem, oportet vt facias illud per horas albas, per nigras post meridiem, sicut & superscriptio supra globo stellis aliquot exornato addita satis indicat, Ante meridiem & post meridiem. Ibidem quoque proxime vides adscripta quartalia ad vtranque manum, ea verò significant singula horarum spacia in quatuor partes esse diuisa.

PROBLEMA SEPTIMVM.

*Cuiusmodi sunt horæ, quæ ab ortu & occasu
Solis numerantur?*

Nullis propriis lineamentis designantur in hoc instrumento horæ quæ post ortum simul & occasum Solis numerari solent, mixte enim vsurpantur, quoniam interdum horæ ab ortu accipiuntur pro horis ab occasu, & aliquando vicissim. Maiori itaque hic in animaduertendo diligentia opus est & attentione. Primum quidem vides vd sinistram de super oblique cadentem lineam quandam tortuosam, eamque porrigi vsque ad horam 12. horarum ingressus. Et ista linea obliqua merito appellatur Horizon orientalis & occidentalis, ibidem adiuncti sunt duplices numeri albi & nigri, quibus etiã mixte seu confuse vtimur, sicut in medio instrumenti huius adscripsimus. Numeri isti pertinet ad horas illas quæ à sinistra sursum versus ductæ penè horizontem orthogonaliter attingunt. Horizonti illi quoque æquidistantes itidem tortuosæ plures ductæ sunt lineæ, habentes numeros albos etiam & nigros, è quibus albi significant ante meridiem quidem horas ab ortu, post meridiem verò horas ab occasu. Nigri tantum post meridiem horas designant ab occasu. Horum omnium, in altera parte, quando de vsu dicturi sumus, intellectum maiorem habebis.

PROB.